



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

XIX. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt und transsumirt eine Urkunde vom 15. August 1328, worin die Stadt Müncheberg den Wald Cöpernitz mit dem Rechte, darin Wild zu hegen, für 20 Marck gekauft hat, ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

XVIII. Markgraf Ludwig gewährt der Stadt Müncheberg die Zusicherung hergebrachter Zoll-Abgaben für die Straßenfahrt, sowie die Holzungs-Gerechtigkeit, am 27. Oktober 1348.

Noverint univērsi tenorem presentium inspecturi, quod Nos Ludowicus, Dei Gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarie et Carinthie sacrique Romani imperii Archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, nec non Aquilegiensis, Tridentinensis et Prychsiensis ecclesiarum Advocatus, Discretis viris Consulibus et univērsis ac singulis inhabitantibus presentibus et futuris Civitatis nostre Mönchberg, ob fidelitatis sue constantiam in nostris probabiliter et actualiter compertam, et ob id, ut nobis et heredibus nostris perpetuo in debita fidelitate constanter et fideliter commaneant, gratiam fecimus et presentibus facimus subsequēntem, Videlicet quod transitus curruum sive communis strata, que in selowe et Quilitz hactenus continuabitur, in antea apud ipsos in predicta nostra Civitate Monchberg sub consimili thelonei datione, sicut ex antiqua consuetudine observatum, et debebunt continuari cursibus temporum sempiternis. Poterunt etiam ligna ad structura et munimenta civitatis nostre predicte competentia pro sua legitima necessitate et ligna jacentia ad comburendum apta cum lignis stantibus, vulgari nomine Erleyn et Birchen nominatis, et Raßholtz predicti Consules ex merica dicta Episcopi recipere, sine nostri, heredum et officiatorum nostrorum quorumlibet obstaculo, quotiens ipsis conveniens ac visum fuit oportūm. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Testes etiam huius sunt nobis vir Guntherus, Comes de Swartzburg, Dominus in Spreumberg, nec non strenui viri Ulricus Vilbrand, Beringerus Helle, Marscalcus noster, et Wolfhardus de Satzenhowen cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Monchberg, Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, feria secunda in vigilia symonis et Jude apostolorum beatorum.

Aus der Gumbding'schen Urkundensammlung, Npt. III. 2, S. 127.

XIX. Markgraf Ludwig der Römer bestätigt und transsumirt eine Urkunde vom 15. August 1328, worin die Stadt Müncheberg den Wald Göpernitz mit dem Rechte, darin Wild zu hegen, für 20 Mark gekauft hat, am 28. Oktober 1348.

Nos Ludowicus, Dei gracia Brandenburgensis et Lusatie marchio, Comes palatinus reny, bauarie et karinthie Dux, sacri romani Imperii archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, nec non Aquilegiensis, Trydentinensis et Prychfyensis ecclesiarum aduocatus, recognoscimus publice per presentes, Quod venientes ad nos discreti viri consules ciuitatis Muncheberg, fideles nostri dilecti, vt ipsis literam Subscriptam confirmare dignaremur, cum instacia supplicantes, Cuius quidem precibus fauorabiliter annuimus iuxta vota ipsius eandem literam approbamus, ratificamus et tenore presentis litere confirmamus.



Nos Ludovicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae marchio, Comes palatinus reny, Bauariae et Carinthiae dux, sacrique imperii archicamerarius, fatemur publice per presentes, Quod prudentibus viris Consulibus nostris ac ciuibus nostris vniuersis de Moncheberg presentibus et futuris vendidimus iusto venditionis contractu siluam köpernitz cum fundo, aquis et pascuis iusto proprietatis titulo possidendam cum omnibus suis limitibus et cum omnibus intra limites dicte siluae contentis. Fauemus quoque dictis nostris ciuibus presentibus et futuris, quod ipsi feras in dictam siluam aliunde eciam aduenientes foueant et ab incurfu et captura defendant, Renunciantes dicte siluae et attinentiarum eiusdem renunciatione debita et solempni. Proinde dicti nostri ciues nobis dederunt viginti marcas argenti, de quibus ipsos per presentes dicimus absolutos. In cuius rei testimonium nostrum Sigillum presentibus est appensum, Presentibus nobili viro domino Buffone, comite de Manfuelt, domino Segero, preposito de Stendal, Hinrico, milite de Slaberndorf, Hermanno de Luchowe et aliis de nostra familia fide dignis. Datum Struzberg, Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XX<sup>o</sup>. octauo, in assumptione sancte Marie.

Predicta sub modis et formis superius tactis ita tenere volumus et inuiolabiliter obseruare. In cuius testimonium Sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Testes vero huius sunt Nobilis vir Guntherus, Comes in Swartzburg, strenuique viri Fridericus de Lochen, Vlricus willebrandus, Berengerus hele, marscalcus noster, et wolfhardus de Satzenhouen, milites, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum in castris ante Vorstenwalde, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. octauo, die Simonis et Jude apostolorum beatorum.

Nach dem Originale.

XX. Markgraf Ludwig befreit die Stadt Müncheberg von dem Landgerichte,  
am 29. Oktober 1348.

Nouerint vniuersi tenorem presentium inspecturi, Quod nos Ludovicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae marchio, Comes palatinus reny, Bauariae et Carinthiae dux, sacri romani Imperii Archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, nec non Trydentynensis, aquilegiensis et prichienensis ecclesiarum aduocatus, discretis viris Consulibus et vniuersitati Ciuitatis Moncheberg, fidelibus nostris dilectis, presentibus et futuris, gratiam fecimus specialem, quod pro excessibus suis quocunque modo committendis coram iudice terre non debebunt conueniri, sed in quo iudicio excessus committitur, coram huius loci aut districtus iudice debebunt et tenebunt tantummodo respondere. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Testes vero huius sunt Nobilis vir Guntherus, Comes de Swartzburg, strenuique viri Vlricus willebrandus, Berengerus hele, marscalcus, et Wolfhardus de Satzenhofen cum ceteris pluribus fide dignis. Datum in vorstenwald, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. octauo, feria quarta in crastino Symonis et Jude apostolorum beatorum.

Nach dem Originale.